



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani[i] Amor Divinvs

Scribanius, Carolus

Mogvntiæ, 1616

Cap. IV. Assimilatio Amoris quarta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46242)

536 CAROLI SCRIBANI
mæ. Veta hoc Remora mea, quæ so-
la potes, & veta æternum.

CAPVT IV.

Assimilatio Amoris quarta.

Regiæ. **C**VI assimilabo te? REGIÆ, dile-
Apoc. 21. *Et mi. Structura muri eius ex lapi-*
Esther. 1. *de iaspide, super pavimento smarag-*
Apoc. 21. *dino & Pario lapide strato. Porta illius*
margarite sunt per singulas: platea au-
rum mundum tamquam vitrum pelluci-
dum; fundamenta murorum omni lapi-
de pretioso ornata. Parietes eius ex au-
ro, de cuius laminis trabes, & postes
tecti sunt per totum, sed & laquearia
illius auro & gemmis variegata. Me-
Ezech. 28. *sæ illius ex auro obryzo. Omnis lapis*
pretiosus operimentum eius, sardius, topa-
zius, & iaspis, chrysolitus & onyx & beril-
lus, sapphirus & carbunculus & smarag-
Prou. 8 *dus. Melior est fructus eius cunctis pre-*
Eccles. 45. *tiosissimis; melior gemmis figuratis in li-*
Prou 8 *gatura auri: & omne desiderabile ei non po-*
Sap. 7. *test comparari. Omnes diuitias nihil esse*
dixi

duxi in comparatione illius, quoniã omne
 aurum in cõparatione illius arena est exi-
 gua; & tamquam lutum aestimabitur ar-
 gentum in conspectu illius. Propugnacu-
 la regiæ huius meæ in gyrum turres
 regnorum & munimẽta seculorum
 desiderabilia super aurum & lapidem pre- *Psalm.*
 tiosum multum; vt gloriari possim tan- *18.*
 quam potens in auro & gemmis in
 potentia dilectæ regiæ meæ: in deli-
 tiis paradisi dilecti mei, gloriæ æter-
 num; vt pars aliqua fiam regiæ huius
 vas aliquod in honorem Regi meo,
 vnusque ex accumbentibus quibus
 transiens ministrabit dilectus meus.
 Felix anima, quæ calcatis spretisque
 mundi illecebris, domita carne & sub
 iugum missa, periturisque contem-
 ptis opibus honoribusque, vni deco-
 rem suum Regi suo seruat, mundo
 exornata & naufraga; vni dilecto suo
 placendi studium impendit; vni illi
 ornata, vni pexa & compta; vni vir-
 tutib. tamquam gemmis & auro gra-

Z. 5. uida.

uida. Ut non saltus & insulas tenera
circumferat ceruix; non calēdarium
aurium cutes; non grande patrimo-
nium capillis intertextatur; nō lapil-
lorum luminibus brachia arctentur
sed solide virtutes stipent ac circum-
stagnent hanc animam, Regi suo,
sponso suo parandam; in qua dele-
ctetur impudicitiam à castitate deie-
ctam, perfidiā à fide celsam, sæuitiam
à misericordia contusam, petulan-
tiam à modestia obumbratam.

Exer-
citus.

Isa. 2.

Cui assimilabo te? EXERCITUS
dilecte mi. Dominus enim exercituum
nomen tuum, *super omnem superbum
& excelsum, & super omnem arrogan-
tem, & super omnes cedros Libani sublimem
& erectas; & super oēs colles eleuatos, &
super omnem terram excelsum, & super
omnem murum munitum.* At paruulus

Isa. 9.

ego sum dilecte mi, & tamquam val-
lis rorem sitiens: nam & tu paruulus
natus es nobis, & factus est principatus su-
per humerum tuum. Benedic ergo

paru-

paruulo, paruule dilecte mi; benedic
 conuallibus manuum tuarum, here-
 ditati tuæ. Benedictio enim in me-
 dio terræ cui benedixerit Dominus
 exercituum, nec erit sterilis in agro
 illius. Sed & defende hæreditatem
 tuam quam posuisti tibi dilecte mi.
 Quid enim in eam poterit omnis po- *Luc. 22*
testas tenebrarum? tu namque es Do-
 minus omnipotens bellator... *Ps. 46.*
excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem
terram, & tamquam castrorum acies or- *Can. 6.*
dinata robur tuum, & tu dominabe-
 ris omnium in brachio virtutis tuæ.
 Ego, dilecte mi, potens in poten-
 tia tua, non verebor inimicas acies,
 aduersantia agmina; quoniam tu
 mecum es, & pro lorica mihi ac o-
 mni armatura fortium amor est. *For-*
tis namque est ut mors dilectio, & sicut *Can. 8.*
Infernus emulatio eius: lampades eius lâ-
pades ignis atq; flammarum: aqua multa
non poterunt extinguere, nec flumina ob-
ruent eam, non deprimet eam omnis

potentia Regum; nec minuent eam
 tormenta tyrannorum. Maior enim
 his omnibus est dilectio, & tanquam
 paleas ridebit illa; & tanquam fo-
 lium quod vento rapitur, illudet illis;
 aut tanquam arenam maris, quam
 indignantes excutiunt fluctus. Sis tu
 tantum mihi in munimentum acies
 valida. Non quæro legiones, aut ar-
 maturam fortium; tu mihi, & tu fo-
 lus agmè prævalidum; tu mihi legio-
 nibus omnibus prior potiorq; Quo
 vno aduersarias inferorum, carnis, &
 seculi huius acies, facilis perfringam.
 Eueniat hoc mihi dextera potentia
 tuæ.

Horto. Cui assimilabo te? **Horto,** dile-
 ctæ mi. Hortus enim conclusus dile-
 ctus meus mihi, hortus iuxta fluitos
 irriguos. Quis mihi dabit vt fruatur

Can. 2. horto meo? Flores enim apparuerunt,
 tempus putationis aduenit, ficus protulit
 grossos suos, vineæ florentes dederunt odo-
 rem, & germinarunt mala punica. da mihi
 inter

inter illa vbera tua dilecte mi. Quid enim volūt nisi exonerari succo plena? sed & tu vicissim descende in hortum meum, ad areolam aromatum, vt pascaris in illo, & lilia colligas, qui pascaris inter lilia. Miscui myrrhā in meam cum aromatibus meis. Comede fauum cum melle meo; bibe vinum meum cum lacte meo: omnia enim paravi tibi, noua & vetera seruaui tibi. Veni & epulemur, & iucundemur, & inebriemur: ego ab vberibus dulcoris & lætitiæ tuæ; tu à vino quod miscui tibi, vino ex aromatibus, myrrhæ & cinnamomi, maldi & croci, quod paravi tibi. Surge Aquilo & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius, vt perfletur dilectus meus odore vnguentorum meorum, florum meorum, masti mei quod miscui dilecto meo. Aperi mihi hortum tuum tot seculis conclusum, vt pascat ibi liliis castitatis tuæ, violis dulcoris tui, rosis amoris tui. Et tu vicissim malogra-

natis

natis pœnitentiæ, & mœroris mei
 myrrha; tandemq; amoris mei versicolorib⁹ hyacinthis. Fortunati dies
 quibus recumbam in horto delitium dilecti mei. Quàm feliciter iungemur ego & amor meus! ô horti, nō iâ horti! sed cœli mei. Grata animanti pomeria. Beata quæ calcantur gramina amoris mei pedibus; quæ premuntur latere. Quamdiu spe lactora nuda dilectæ mi? nec fruor optatis delitiis tuis! laui me flumine oculorum meorum; terfi me spōgia sudorum meorum. Et si imperas, natabo fontib. venatū mearum: miscebo liliis rosas, lacrymis sanguinem: vt vel sanguine referentur horti mei. An non mei quos mihi rigasti rore, imbribus, torrentibusq; tuis? liceat tantū hanc terram tam nobili purpura rigatam osculis verrere; vt, cum non possim, nec audeam polscere osculum oris tui, satier osculo purpure tuæ, rosæ tuæ, lilij, violæq; tuæ.

Cui

Cui assimilabo te? *VINEÆ*, dile- *Vinea*
 cte mi. Sed & botrus Cypri dilectus
 meus de vineis primogenituræ meæ,
 ideo cellæ assimilavi te dilectemi,
 & torcularibus musto plenis: duc
 me in cellaria tua, ad torcularia tua,
 vt bibam & exsatiar, & inebrier ab v-
 bertate tua, ab vberibus musto ple-
 nis. Nam & vbera tua sicut botri vi-
 neæ, & odor illorum, sicut odor tor-
 cularis aut cellæ musto gravidæ. *Re-*
spice deinde de celo, & vide vineam meā; Ps. 77.
& perfice eam quā plantavit dextera tua.
 Et fac eam vineam electam, quæ fru-
 ctificet dilectionis tuæ *palmites*, & e-
 mittat *propagines* amoris tui, & det
 fructum suum tibi in tempore suo.
 Et iam vinea mea floruit, & terra de-
 dit germē suum, & *calum rorem suum, Zach.*
sed & germinauerūt in ea per circui- 8.
tū mala punica: & torcular extruxi
in ea; & ædificaui tibi turrim in me-
dio ei⁹; & sepiui eam lapidib. electis.
 Abominabiles omnes qui demoliū-
 tur

tur

tur eam. Mouebo super eos caput
meum, postquam dissipaueris eos, &
igne consumpseris suffodientes eam
in dolo. Tibi enim vni plantavi eam
vt redderet tibi vvas sponſionis suæ,
iuxta omnia quæ promiserat tibi in
die lætitiæ suæ; die primitiarum, die
pinguiū. Veni ergo dilecte mi & bi-
be, & inebriemur, tu ab vbertate pec-
nitentis torcularis mei; ego à fœ: un-
ditate amantis vineæ tuæ. Ô inebrier:
vtraque felici ebrietate! & iam à tor-
cularibus mœ: otis ebrius. (*potasie:*

Pf. 59. . . . *nim me vino compunctionis*) quid spe-
rem nisi vinum tuum, quod lætificat

Pf. 103. . . . *cor hominis, & propinare mœ: ore lan-*
guentibus soles? pota me hoc vino

Prou. . . . *tuo memor verborum tuorum, Date:*

31. . . . *siceram mœ: rentibus, & vinum his qui a-*
amaro sunt animo; bibant & obliuiscan-
tur egestatis suæ; & doloris sui non recor-
dentur amplius. Vt obliuiscar doloris
mei; nec recorder vltiã viarum mea-
rum quibus te ad indignationẽ pro-
uocaui;

uocaui; sed vino amoris tui ebrius,
 nihil iam videam, sentiam, uocem,
 præter hoc vinum, quod in æternum
 hauriam in lætitia cordis mei.

Cui assimilabo te? *Lectulo* Salomonis, dilecte mi. *Sexaginta fortes ambiunt illum ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi. Vnicuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Lectulum dilecti ambit per circuitum omnis armatura fortium, mille clypei pendent ex eo, & millia millium ministrant per circuitum, & decies millies centena millia assistunt ei. Facies eorum, quasi facies leonis, & veloces quasi capreae in montibus. *Lectulum* fecit Salomon de lignis Libani, columnas eius argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum. lectulum dilecti mei struxi ex tabulis cedrinis & cypressinis, quæ cariem non sentiunt; columnas eius in quadrum gemetas, reclinatorium smaragdinum ornatum castitatis liliis, fultum castimo-

stimo-

stimonie pennis, tectum desuper ve-
 recundia purpura. Quid n. aliud a-
 mor tuus quam lasso lectus, & amica
 fatigato quies? vt anhelu iam pectus
 lassumque desiderio tui, in sinu tuo,
 tanquam in lectulo, inter vbera tua,
 tanquam inter puluinaria molliter
 quiescat. Desiderata quies amanti-
 nimæ, tot votis sperata; tot oculo-
 rum imbribus rigata; tot suspiriis ex-
 spectata. Veni mea quies, lectule mi,
 vt nullæ mihi noctes cæt sine te, nul-
 li dies sine puluinariis tuis, nullus
 somnus nisi in sinu tuo lectulo meo.
 Ibi hauriam fluentia gratiarum tua-
 rum. Ibi audiam vocem tuam, *Adiuvo*
vos filia Ierusalem per capreas ceruosque
camporum, ne suscitatis, neque euigilare
faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.
 Nunquam euigilem, quia nunquam
 euigilari velim. Semper dormiam
 sed in lectulo meo sinu tuo, inter v-
 bera lateris tui, quæ mihi referauit a-
 mor tuus. Suavis lectus Bethlehemi-
 tico

Cant. 2.

tico præsepi carior, molliq̄ue illius
 sceno dulcior, quando fruar optato
 accubitu tuo? quando amica dabo
 oscula manibus pedibusq̄; tuis, quã-
 do infigam lateri perennatura basia?
 quando eodem tecũ crucis tuæ pro-
 cumbam lecto, eadem lancea & cla-
 uis confixus, iisdemq̄ue amoris vin-
 culis constrictus? vt æternum confi-
 gar tibi in deliciarum tuarum cælo-
 rum lecto, in quo æternum fruar ca-
 sto amore tuo, æterna sociatione
 beatus.

CAPVT. V.

Inuestigatio Amoris.

VBi es amor meus, aut in quẽ de-
 mum locum te abdidisti fugiẽs?
 num in inuiis & in inaccessis rupibus?
 nulla præcipitia amori sunt. Trans-
 cendit ethera ridetq̄; montes, rupes-
 q̄ue tamquam dexteræ suæ pilas. Et
 non omnis rupes amori planities est,
 perpetuumq̄ue ac placidum æquor,
 quod